

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De cognitione naturae Lunar. Cap. VII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

decoctionem perficitur, est causa perfectionis: Oppositum vero corruptionis. Igitur si ceciderit super ipsum argentum vivum sulphur non debitæ dispositionis, necesse est secundum diversitatem illius diversas corruptiones adduci. Potest enim tale sulphur, quod super illud cadit fixum, non adustibile esse totum, aut totum adustibile & fugiens in natura sulphuris, aut fugiens & non in natura sulphuris, aut partem fugientis, partem vero fixi tenere; sed in parte naturam sulphuris tenere, in parte vero non: aut totum mundum aut immundum; aut medietas immunda vel minor ipsius pars. Item aut multæ quantitatis, superans in cominixto argentum vivum, aut paucæ quantitatis superatum ab illo: aut nec superans, nec superatum. Item aut album, aut rubeum, aut mediocre. Ex his itaque omnibus diversitatibus tam sulphuris quam argenti vivi, necesse fuit in natura diversa creari corpora metallica; quorum rationes omnes expedit nos narrare cum proprietatibus & experimentis manifestis.

*De cognitione naturæ Lunaræ.*

CAP. VII.

**I**am ergo patet ex præcedentibus, quod si ceciderit sulphur mundum, fixum, rubeum, clarum super substantiam argenti vivi

vivi mundam, puram, fixam & claram, non superans, imo paucæ quantitatis, in multo superatum, in commixtione argenti vivi; creatur ex hoc aurum purum. Si vero fuerit sulphur mundum, fixum, album albedine pura, clarum super substantiam argenti vivi mundam, fixam, claram non superans, sed in modico superatum, creatur ex eis argentum. Diminutam tamen habet puritatem ab auri puritate, & spissitudinem grossiorem quam aurum. Cujus signum est, quod non condensantur partes ejus in tantum, quod auro componderet: nec etiam ita fixam substantiam habet, ut aurum; cujus signum est diminutio ejus per ignem: & sulphur ejus, quod non est fixum, nec incombustibile, causa est illius. Et quod sulphur in illo hujus sit dispositionis, per illius paululam inflammationem probatur. Idem autem sulphur fixum & non fixum, ad aliud quidem & ad aliud relatum, esse, impossibile non est autumandum. Lunæ enim sulphureitas ad auri sulphureitatem relata, non fixa & comburens est. Ad aliorum vero corporum sulphur relatum, fixa, & non comburens.